

40-0  
*DISSE*  
**DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
HYDROPE PECTO-  
RIS SACCATO.**

*QVAM*  
PRAESIDE  
**D. IOANNE HENRICO SCHVLZE**  
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO  
ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETRIPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS

SODALE

**PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA**  
HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

*At d. April. MDCCXLII.*

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

**ANTONIVS SENGER.**

HAMMONIA GVESTPHALVS.

---

*HALAE MAGDEBURGICAE*

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

hol. spec.

89,34

*mbi/juc 1772*

ALLEGRA ZUR ENTHÜLLUNG DER GEISTER

30

ОТДАВАТЬ ПРОЯСНИ  
ОТДАВАТЬ СИЯ

ଓଡ଼ିଆ ମୃତ୍ୟୁ

# ДОЛЖНОСТИ ДОЛЖНОСТИ

ГЛАВА ПЯТАЯ НАЧАЛОМ БЫЛО

ACADEMIA IMPERIALIS NATVRAE CATEGORIUM  
M. G. GÖTTSCHEIUS.

ET HABITATIONE AT ET HABITATIONE  
CIVICIS IN CIVITATIBUS MUNICIPIIS

ЛЮДИ ЯВЛЯЮТСЯ ЧЕРНЫМ РОД

2700000

2018 RELEASE UNDER E.O. 14176

# СИНЕГЕР СИНЕГОТИА

271 MARCH 1960 VOL 34 NO 3

51210-VAR-21-16-750-15

*L. B. F. Q. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

HYDROPE PECTORIS SAC-  
CATO.

*PROOEMIVM.*



Hydrops abdominalis saccatus, quem aliqui hydrope peritonæi dicere malunt, quia insignis collectæ aquositatis copia intra peritonæum, in duas lamellas diffusum & saccum spatiolum formans, continetur, pridem a medicis insignibus visus atque notatus fuit, antequam nomen adeptus in publicam omnium librorum lucem prodiret, & ab omni schola medica agnosceretur. Sane eum in famam maximam dedisse videtur MERCKLINVS, clarissimus Norimbergensis medicus, qui historiam feminæ illo morbo conflictatæ & ex illo mortuæ, atque sectionis a morte institutæ, cum publico communicauit, non solum ephemeridibus academiæ imperialis Naturæ curiosorum insertam, verum etiam singulari disser-

dissertatione inaugurali, quæ Altorffii prodiit,  
illustratam. Sed ante illum idem affectus no-  
tatus visusque fuerat a MARCELLO DONA-  
TO, GERHARDO BLASIO, NICOLAO  
TVLPIO, IACOBO CAMENICENO, for-  
teque pluribus, qui nunc memoriae non suc-  
currunt. Ab eo tempore autem, quo semel  
publice innotuit, complures docti viri, qui-  
bus idem hydrops notandus occurrit, diligen-  
ter eius omnes conditiones notauerunt, & se-  
ctionibus demortuorum rimati sunt. Hinc  
iam tatis multæ & luculentæ obseruationes  
eius prostant, & præcipue in nobilissimis ephé-  
meridibus laudatissimæ Academiæ N. C. inue-  
niuntur: prorsus ut nunc extra dubium pos-  
tum sit & dari talem morbum & non esse in-  
frequentissimum: eundemque habere non  
pauca, in quibus a genio aliarum hydropis  
specierum dissidet. Quare quum mihi visus  
sim hydropem etiam pectoris saccatum aliquem  
deprehendisse, atque binos casus luculentos  
a D. D. PRAESIDE mecum communicatos ac-  
ceperim, vbi collectio aquarum non libere  
fluētuans, sed sacculo a membrana costas suc-  
cingente inclusa fuit: existimauit non incom-  
mode talem morbum vocari posse pectoris  
facca-

saccatum, aut, si mauis, pleuræ hydropem. Videat beneuolus lector, ipseque liberrime iudicet, iustene nomen illud imponi possit morbo descripto. Vt cunque suffragia ceciderint, illud saltem spero futurum, vt propositi casus non contemnendi videantur, atque pathologiæ medicæ aliquantulum inseruant vel amplificandæ vel illustrandæ. Quod de curatione hic parum dici potuit, vitio mihi non dabitur. Nam quum morbus non fuerit ex certis signis cognitus; neque medicina ad auferrendum illum aliqua directa fuit: ex quo fit vt neque quid iuuerit aut non iuuerit, neque quid nocuerit possimus dicere. Fuerunt igitur tantum ea adferenda, de quibus verosimili conjectura & analogismo quodam practico sperare licet, quod ad salutem restituendam aptissima futura sint.

## HISTORIA I.

**V**ir robustus, vegetus, militari vitae generi a multis annis deditus, equestris centuriæ ductor, quum prope quadragenarius esset & in obsidione ultima Stralsundæ, quæ in medium hyemem protrahebatur, inter oppugnatores strenuam operam nauasset, & ab ea rediisset, sentire cœpit respirandi angustiam quandam.

A 3

Quum

## 6 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

Quum varia aduersus illam adhibita essent, non percipiebat leuamen constans, verum potius incrementa malum capiebat, vt ad quemuis motum corporis anhelaret. Tandem ita grauiter afficiebatur, vt decumbere omnino non posset, ob præsentissimum suffocationis periculum: cogereturque quietem in sella capere. Tumor pedum inter hæc accedebat non magnus, sed qui subinde subito increscebat, mox aliquantulum subsidebat: aliquando omnino disparebat. Appetitus hæc inter fatis bonus erat, neque concoctionem læsam animaduertere licebat. Habitus reliqui corporis externus nihil vitii ostendebat, animus erat hilaris & optima spe sustentatus. Permisserat se medico doctrina non minus quam experientia longa perfectissimo, qui pertinax hoc malum a polypo, vel ventriculis cordis vel maioribus vasis inhærente, ortum ducere suspicabatur. Mouebat ipsum præcipue hoc phænomenon, quoniam semel iterumque visum fuerat, quod in grauissima dyspnœa nihil æque ad paroxysmum superandum profuisset, quam si robustus homo ipsum circa scapulas comprehensum attolleret & concuteret: ex quo coniecturam faciebat polypi fluctuantes fibras, sursum propulsas, angustare vasa, atque ab hac constipatione progressum sanguinis impediri. Quare fieri putabat vt ab illa corporis conuulsione polyposæ fibræ, ad pristinum situm redactæ, libertatem progressuris humorib[us] restituerent. Ceterum non cessabat optima remedia resoluentia, & vrinæ vias exstimplantia, adhibere, hisque non numquam interponere mitiora purgantia, a quibus vniuersis se leuari sentiebat, sed præcipue a purgantibus interualla longiora paroxysmi suffocatoriæ percipiebat, & pedum tum

## DE HYDROPE PECTORIS SACCATO. 7

tumoris decrementum. Enimvero accidebat subito ut magna syncope correptus nulla arte posset reuocari, omninoque viuendi finem faceret. Occasio illa erat. Satis belle per aliquot dies degerat, atque apud se ex amicis & cognatis plutes, qui inuisendi causa aduenient, habebat, qui iucunda confabulatione toedium diuturnæ valetudinis faltebant. Quum ex his aliquis narrationem inserret, qua ad risum effusorem concitatur, sub ipso illo deficiebatur animo & emoriebatur, nullo plane pacto a syncope renocabilis. Impetrabatur ægre venia corpus dissecandi, vt tam abstrusi morbi, tamque subitæ mortis causa requiri posset. In abdomine nullum viscus erat, quod ullam labem ostenderet, nedum talem, cui vel morbus vel mors posset tribui. Vbi vero ferrum ad præcordia admouebatur & thorax aperiebatur, proprius intueri rem licebat. Fluctuabat in vtraque eius cavitate seri flauescentis, neque male olentis neque falsedine vlla notabili imbuti, notabilis copia. Pulmones ab omni parte liberi erant, nec vel pleuræ vel diaphragmati vlo loco coaliti. Vbi serum spongiis exhaustum erat, quod vltra quatuor libras aestimabatur, admirationem excitabat animaduersa vtrique membrana, adhuc aliquibus locis fluctuans & elata ab aquis, quas includebat; cui cum exhausturæ spongiæ porro adhicerentur, atque sursum ac deorsum premeretur, facile in oculos incurrebat hiatus vltra pollicem longus, per quem omnis tandem humiditas educi poterat. Quo facto quum hiatus ille, quantum fieri poterat, digitis comprimeretur & aer per tubulum immitteretur, cognosci poterat quam late ille fuscus, cuius alterum latus hæc membrana constituerat, patuisset.

Scili-

8 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

Scilicet posteriorem thoracis regionem, qua vertebræ sunt, potissimum occupauerat, eratque a superiori regione, sub scapulis, illius altera extremitas, altera ad dia-phragmatis initium, fere æquali latitudine, quæ palmam manus large æquabat. Toto hoc spacio pleura a costis separata distabat, aquis, vt verosimile est, ante disruptio-nem impleta & distenta. Hiatus, aut, si mauis, rupturæ locus, erat vtrinque sibi satis accurate oppositus, trium fere digitorum spacio a diaphragmate. Ceterum pul-mones erant satis recte constituti, & in corde nullum no-tari poterat vitium.

CONSIDERATIO MEDICA,

§. I.

**H**abes, beneuole lector, integrum historiam. Nunc tecum deliberare liceat quo nomine affectum illum insignire debeamus. Quumque nullum esse dubium possit, quin nomina recepta, vbi cunque suppe-tunt, superuacuam curam faciant noua excogitandi: tan-to magis aberimus a nouaturiendi pruritu, quanto cer-tiores sumus quod confusiones atque remoras facere so-leant; quicunque vetera non incommoda nomina mu-tare atque noua substituere parati sunt.

§. II.

Erunt itaque qui abscessum vocandum esse existi-ment: quoniam a se inuicem abscesserunt partes a natu-ræ instituto coniunctæ & continuæ, interposita aliqua materia præternaturaliter collecta. Et sane etymologi-am solam spectantibus nihil obstat, quo minus cum Latini-

nis abscessum, cum Græcis ἀπόσημα hic inueniant. Abscesserat enim membrana costas succingens ab ipsis, & interposita materia serosa saccum, aut, quod tantundem valet, tumorem, ὄγκον fecerat: rupta deinde tunica externa, & emissa materiæ maxima parte, aderat κάλπος, sinus. Quæ singula in abscessibus fieri apud omnes notum est, & antiquæ doctrinæ, in quam omnis schola medica pridem consensit, plane consonum. Vide, si placet, satis accuratum auctorem definitionum medicarum, IO. GORRAEVM in voce ἀπόσημα.

### §. III.

Enimuero quum sint abscessum plures species, sub generali illo nomine comprehensa, quibus singularia nomina iam pridem fuerunt imposita, quæque a se inuicem in admodum multis discrepant: nomen apostematis seu abscessus per eminentiam fere tribuitur illi tumor, qui digeri non potuit atque in pus coctum conuersus est, inflammatione prægressa & suppurationem perficiente. Quæ tamen idea quum huic abscessus speciei minime conueniat, necessario deberet restringi & determinari aliquo adiecto, vt abscessus pleuræ serosus aut aquosus vocitetur.

### §. III.

Videntur aliqui hunc affectum designasse nomine hydatidis, aut hydatidum pectoris vel pleuræ. Multi enim earum mentionem faciunt, vbi vel de hydrope pectoris vel de asthmate docent: vt minime obscurum sit pluribus illas videndas obtigisse. Enimuero hydatidis nomen haud satis videtur commodum primo quidem ob etymologiam, qua notionem diminutiuam habet. Est

B

enim

10 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

enim *υδατης*, tamquam Latine dices aquula : quod non sine incommodo tribuas magnis collectionibus, quae ad aliquot libras ascendunt. Deinde non placere nomen valde potest ob homonymiam, eamque multiplicem. Nam quum antiquissimis temporibus id nomen datum sit palpebrarum tumoris aquoso, qui superiore ita occupat, ut attolli nequeat, unde oculus non potest bene aperiri, & continuo effluxu madet ; eaque appellatio hodieque maneat : accessit postea alia eiusdem vocis notio, quae hydatides appellantur vesiculae limpida aqua plena, quales saepe inueniuntur sunt in pulmone, hepate, liene, utero variorum corporum morbo aliquo seroso defunctorum. Quin videoas magni nominis anatomicos illas vesiculos, quae in ceruice uteri feminarum etiam sanissimarum inueniuntur, quas MART. NABOTHIVS quondam ovarium prohibebat, hydatidum nomine celebrantes. Quae quidem vesiculae discretae, & vix pisi magnitudinem aequantes, si iure habentur & vocantur hydatides ; quod fateor non videri posse ultra ratione incommodum : certe non aequi iuste vocabimus illo nomine magnam vesicam aut faciem, non uncias, sed integras libras continentem.

§. V.

Fere eodem redit quæstio, an possit aut debeat hydrops vesicularis aut vesicalis appellari. Vesicularis non commode dicetur, quoniam certe non est vesicula, quæ libras integras humoris capere potest. Et quum iam innotuerit aliqua hydropis species, ubi infinitæ vesiculae, humore aquoso distentæ, iuxta se inuicem continua quadam serie fuerunt visæ, quas lymphatica vasa sensim dilatata

## DE HYDROPE PECTORIS SACCATO. 11

latata & amplificata existimauerunt, quibus coram inspi-  
ciendæ & oculis arbitrandæ obtigerunt: atque his tali-  
bus, quæ collectæ hydropis omnia phænomena exhibue-  
runt, nomen hoc utique relinquendum videatur: nolim  
siadere nomen non unico incommodo laborans. Ne-  
que vesicalem dicere velim, quoniam cogitationem illi-  
co vocat ad vesicam vrinariam: de qua quidem nondum  
relatum legimus, quod umquam hydrope aliquo labora-  
uerit; sed vix videmus causam, cur non aliquando æque  
correpta illuic serosa inueniri possit, quam alia viscera.  
Quod si fieret nomen hydropis vesicalis aut vesicæ uti-  
que exposceret.

### §. VI.

Quamquam igitur affectus, quem in historia nostra  
proposuimus, aliquid trahit ab abscessu, forte etiam ini-  
tio hydatidis aut vesiculae nomen meruit, deinde in ve-  
sicam satis amplam euasit: nescio tamen an aliud nomen  
iustius gerere possit, quam hydropis saccati: cui ad spe-  
cificandam notionem adiicienda est vel pectoris vel pleu-  
ra ~~memoria, ut subiectum, cui influere, clarissima cognoscatur.~~  
Notus pridem hydrops abdominis saccatus, aut, si  
mauis, peritonæi, ita omnia, quantum ego quidem iu-  
dico, analoga huic nostro habet, ut commune nomen  
utriusque esse debeat. Id vero quo magis apertum reddam,  
paucis recensebo in quibusnam conueniant. Ille abdo-  
minis saccatus aquam non per cavitatem hanc infimam  
effundit, sed faccio abdomen angustante includit, ita ut  
ventriculus cum intestinis, hepar, lien, pancreas, cetera,  
non macerentur circumfusa humiditate: hic pectoris pa-  
catoles

B 2

riter

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

riter aquam non effundit, vt pulmones ac cor inundent: sed protuberante mole sua premit pulmones ac cor, spaciunque mire angustum reddit. Atque hoc tanto magis hic facit, quo magis omnis pressio & angustatio ad interiora solum determinatur, quum pectus circumuallantes partes, vtpote osseam rigiditatem habentes, cedere nesciæ sint: dum abdomen, anteriori sua parte mollibus atque sequacibus cinctum, magis cedere atque extrorsum ampliari possit.

§. VII.

Hydrops deinde saccatus abdomini inhærens illud, fatentibus omnibus obseruatoribus, habet, in quo ab alio hydrope differt, quod signa cachexiæ satis diu ab illo absunt, & non nisi sero, corruptis iam actionibus naturalibus & vitalibus, accedere solent. Hæ enim per mali initium, & quamdiu nondum valde inualuit, si non satis bene omnes, diu tamen tolerabiliter succedunt. Quando autem tantopere auctum est malum, vt decumbendi & quiescendi facultatem nullam faciat, somnique beneficium tam iucundum quam necessarium omittat: non lento gradu diminui iam alacritas, perire vigor omnis & habitus marcescere incipit. Quæ omnia in hydrope pectoris saccato pari se habere modo compertum est. Atque dum hæc signa cachexiæ incipiens malum neutquam comitantur; fit inde vt initia morbi in pectore nascentis diutius nos fallant ac prætereant, quam si in abdomine fuisset primum exortus. Nam quum thoracem costæ, sternumque ab anteriore parte, a posteriori iterum costæ, vertebræ, scapulæque muniant; atque inter ac super has

osseas

osseas partes musculi, pinguedo, cutis iaceant: fit ut initio mali nullus tumor extrinsecus eminentes partes faciat, sicque malum prodat. Latet itaque magis etiam profunde & abstruse abditus, quam in abdomen, vbi se plerumque ab inguinali regione, tumore inaequaliter surgentem manifestat: quod omnium consensu maximum & certissimum est exorti mali signum: quanquam & ipsum hoc cessat aliquando & variat in aliquibus, vbi sacculi libere penduli, a costarum spuriarum regione dependentes, animaduersi fuerunt: cuiusmodi casus exhibentur apud BO-NETVM in sepulchr. tom. II. pag. 524. & 527.

## §. VIII.

Sed haec de nomine consultatio tandem abrumpenda videtur, ut de mali ipsius generatione possimus dispercere. Vir antea semper sanus, vegetus & robustus primum sentire coepit mali initium ex quo frigidissimo tempore, circa decembris finem, expugnanda Stralsundæ interfuit. Communes ceteris commilitonibus molestias omnes pertulit: ipse autem magis etiam, quam pro virili parte, afflictus tunc fuit ea causa, quam exponam, ut percepit ab aliquo, qui ex ore ipsius ægroti saepius audiuit. Aliquo castrorum loco, quem ab urbe obfessa exiguum interuallum disiungebat, excubitor fuerat missili obfessorum glande imperfectus. Videbantur autem hostes illo loco aliquid moliri & forte eruptionem tentaturi. Opus itaque erat bellicarum rerum gnaro viro, qui specularetur quid nouæ rei gereretur. Forte tunc apud regem erat noster, qui ipsius fidei hanc explorationem demandabat. Erant iam post noctis medium aliquot horæ elapsæ,

14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

psæ, quum ad hostes, alba veste teftus, supra niues, quam  
proxime poterat, arreperet; siveque prono corpore iace-  
bat per duas horas, post quas talis eodem missus ipfi  
successit.

§. VIII.

Facile iam æstimari potest quantam vim frigoris vir-  
ille duartum horarum spacio pertulerit, quo quietus ia-  
cere, & quid hostes machinarentur obseruare debuit.  
Credo autem omnes mihi esse consenfuros, quod isto  
corporis sui situ plus affectus fuerit illa parte, qua cælo  
obuersus fuit, id est dorso, quam anteriori, qua super ni-  
uem iacuit. Nam & frigus rectilineari motu descendere  
experimentis multis, præsertim in aquis congelatis, co-  
gnoscitur; & niuem frigoris rigorem multum imminuere,  
hincmo artus congelatos conspicue emendare, inter omnes  
constat. Etsi igitur tam accurate determinare ortum hu-  
iis morbi non audeo: illud tamen pluto satis probabili-  
ter me colligere posse, quod illa potissimum nocte, si non  
primo generatus, multum tamen promotus atque con-  
firmatus fuerit. Compulsi enim ad interna humoribus,  
qui in externis partibus frigore constrictis non poterant  
libere commicare & circum agi; accidit ut in membranis  
coaceruarentur serose partes ibique ductulos suos dilata-  
rent. Accedente autem deinceps maiori affluxu, viden-  
tur aliqui fuisse disrupti & vesiculas formasse: quæ dein-  
ceps confluentes ex paruis maiores, ex multis vnicum  
magnum saccum efformauerunt. Videmus enim id quo-  
tidie in vesicatoriis applicatis, ut & locis ambustis aut  
profundius perfrigeratis, quod exiguae initio & multæ ve-  
sicæ

E&A

## DE HYDROPE PECTORIS SACCATO. 15

ficæ breui tempore coniungantur & vnam magnam efficiant.

### §. X.

Hunc generandi talem collectionem modum, quem animo concipio, confirmat anatomica obseruatio Ruyshiana, qui membranam costas succingentem, quam hodie pleuram vocant, a periostio costarum distinctam docet: id quod etiam in macnis facile discimus, quando carnes agninae aut vitulinæ elixæ apponuntur. Facillime enim detracta membrana pleura, videmus subesse costas cingentem propriam, & alio fibrarum tractu, quam ipsa pleura, gaudentem. Quum autem vasa lymphatica a superficie, præcipue dorsi, dirigantur per intercostalia spacia, seque ductui thoracico infundant & coniungant: cognoscitur unde & per quos riuos affluxus huc feratur.

### §. XI.

Quod si alicui modus explicandi exortum hunc magis verosimilis, magisque propinquus, succurrat, docenti cum facile accedam. Mihi interim rationes meas constare existimo, quia a pluribus obseruatum est, quod a frigore magno diutius tolerato aliis asthmata, aliis rheumatismi fuerint suborti, totaque vita inhæserint. Testes pro me aduoco HENR. MVNDIVM, *comment. de aër vital. cap. V.* & CLOPT. HAVERSTIVM *de osib. cap. IV.* qui τὸ ὄπι, seu quod a frigore talia euenant, satis condocent, quamquam non velim omnino meam facere posterioris aetiologyam, qui in frigore primum nitrum statuit, deinde ab acido nitri coagulationem humorum & secessione inferuerat: quales suppositiones ut gratuitæ omni-

no

## 16 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

no sunt; ita ad corpus nostrum non possunt applicari vel cum vlla certitudine, vel cum vlo emolumento. Illud certe notabile est, quod in talibus mucilaginosa collu- uies, instar gelatinæ, sub tunicis musculos ambientibus s̄æpe reperiatur: quodque eadem s̄æpe in hydropem particularem, ὑπὸ σάρκα veteribus dictum, partes extollat: quodque ex apertis talibus subinde materia fluxerit sero lactis albenti similis, ad multas vncias, interfluentibus quibusdam albi coaguli frustulis. Habeo ex D. D. PRÆ- SIDIS collegiis, quod ipsi dissecandus vir ischiade quoniam vexatus obtigerit, in quo miratus fuerit copiam gelatinosæ spissæ humiditatis sub musculis femur ambientibus & ad genu terminatis hærentem, non certe minus spisso tractu, quam ibi ex DRELINCOVRTIO §. 170. adducitur, scilicet ad duorum florenorum largam crastitudinem.

### §. XII.

Dixi quid mihi vero videatur simillimum de exor- tu morbi in hoc viro, qui ab illo tempore dyspnoea & asthmate continuo laborauit, vt muneribus militaribus amplius sustinendis impar esset. Oportet enim vehemen- tem fuisse caussam & validam, quæ in homine antea va- lente & robusto induxit validum & deinceps insuperabi- lem morbum: ita vt ipsemet notare potuerit ab illo prin- cipio suæ valetudinis fuisse initium. Neque tamen pro- pterea contenderim aliam huiusmodi collectionis origi- nem non esse posse aut solere. Si quicquam aliud, certe abcessuum internorum, in latissimo sensu acceptorum, exortus diuersus est & varius, prout ipsorum etiam quoad locum,

locum, magnitudinem, figuram & præcipue inclusam materiam, infinitas differentias notauerunt, qui de hoc argumento cum cura scripserunt. Et quum antea nihil in respirando molestiæ perceperit, inque reliquis etiam sanissimus semper fuerit: frustra laborarem si causas antecedentes, vel propinquam, vel remotiores, vellem longa opera indagare. Certe non fuisse affectum ab aliquo prægresso pectoris inflammatorio morbo primitus ortum, credimus tanto confidentius, quum ægrotus non potuerit talis umquam prægressi meminisse, & pulmones in sectione omnino liberi nec vlla parte coaliti cum vicinis reperti sint: quod vix umquam inuenietur in illis, qui aliquando cum pleuritide aut peripneumonia conflictati, & non primis diebus statim idonea medicina liberati fuerunt.

### §. XIII.

Superest ut symptomatum rationem aliquam paucis habeamus. Affligebat autem ipsum super omnia anhelatio, seu respirandi difficultas, quæ progrediente malo tam grauis fiebat, vt decubitus in lectulo omnem eriperet, & non nisi erecto corpore in sella sedenti quietem concedebat. Huius quidem causam reiicere debemus in saccum illum humiditate suffartum, qui iuxta dorsum vertebrae vtrinque extendebatur, eumque potissimum locum occupabat, quem pulmonum viscus, quando aere expansum est, limbo suo posteriore replere in statu secundum naturam adsueuerat. Facile quidem apparet quod libertatem pristinam sese plene expandendi hic præternaturalis saccus multum imminuerit, omni quidem tempore & corporis situ: sed quod decumbenti magis quam

C stanti

18 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

stanti, aut erecto corpore se denti, molestas fuerit, rationes aliquæ, ut existimo, conspicuæ effecerunt. Nam interea, dum stabat aut sedebat, ipsum serum, ad fundum facci grauitate sua naturali confluens, superiori regioni aliquantum minus incumbebat, spaciunque pulmonibus liberius & amplius permittebat. Deinde abdominis viscera, ad locum inferiorem prouoluta & pendentia, dia phragmati liberiorem descensum permittebant, adeoque thoracis cauum nullo pacto angustabant. Tum quoque videtur haud improbabile, quod saccus ille, qui spacio, quo nervus intercostalis decurrit, immediate superincumbebat, pressione sua directa & continua, durante decubitu, influxum in partes respirationi dicatas magis immunitum reddiderit: id quod minus fieri potuit, quando sub erecto situ pressio magis ad fundum facci & dia phragmatis initia determinabatur.

§. XIII.

Est autem singulare & notabile phænomenon, quod aliquoties ipsi superuenit tam grauis & pertinax respirationis offendio, ut de vita periclitari videretur. Equidem existimo eius euentus plures potuisse causas concurrere, ut ventriculi forte expansionem nimiam, intestinorum a flatibus aut fæcibus distensionem: vnde partium abdominis nisus in diaphragma vehementior factus est: sed ut huic ætiologiæ ipsemet non tribuam omnia, facit consideratio ægrotantium, in quibus ascites hydrops, aut saccatus iam satis magnus fuit, ut & grauidarum, quæ gemellos aut trigeminos vtero gelarunt & dyspnoeam quidem non abesse senserunt, sed tam insignem & periculo presentanco iunctam non habuerunt. Vnde nihil quidem

## DE HYDROPE PECTORIS SACCATO. 19

quidem aliud succurrit, quam quod diurnitas pressionis, quam facci neruo intercostali incumbentis extremitas maxime tensa, premens grauansque in spacio quamvis exiguo fecit, tandem tamen non potuerit non progressu fluidi neruei, a quo per intercostalem ad motorios omnes a medulla spinali emissos aliquid dimittitur, remora aliqua iniici, unde illa deficiens facultas libere respirandi imminuta & offensa, simulque humorum itus reditusque liber sufflaminatus fuit.

### §. XV.

Curiosa indagatione digna est ratio, cur ægroto sic constituto sepe profuerit, & respirationem liberiorem restituerit, concussio corporis, de qua in historia dictum fuit. Illam vtique semper utilem experimur in humorum deficiente progressu sub lipothymia, ut & in leuiori insultu apoplectico : quin in reuocandis etiam aliquibus, qui aquis submersi & tempestive extracti sunt, non parum ad motus redintegrando facere corporum agitationes, experientia comprobatur est. Quantum igitur in genere pertinet ad illum fructum, quem concussio corporis notabilis affert, existimandum utique videtur, quod profectus omnis tam a fluidis in aliam directionem redactis, quam a solidis ad nouam constrictionem inuitatis, dependeat. In nostro autem ægro specialissime videotur profuisse, quoniam vim præsentis facci exiguum spaciū continuo prementem, atque sibi subiacenti neruo stuporem inducentem, in alia subinde spacia deflexit, ita ut pressa illa nunc liberius transmitterent suum fluidum. Forte etiam effecit ut sub tali concussione pleuræ plusculum semper a costis secederet, sicque ampliorem aquis

C 2

con-

20 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

contentis locum diuertendi faceret : ex quo per aliquot deinceps dies minor compressio percepta fuit, sacco, vt-pote minus suffarto, mollius incumbente.

§. XVI.

Supereft ut de ferali & inexpectata catastrophe totius morbi paucis dispiciamus. Scilicet videbatur ægrotus satis tolerabiliter degere ; hinc amicis ad se inuisentibus hilariter iucundaque operam dabat, in risum dissoluebatur, animo linquebatur, deficiebat nulla arte reuocandus. Sane multi leguntur risu mortui. Qui bene magnum indicem exemplorum inspicere cupit, adeat CHR. IO. LANGII *operum tom III. pag. 38. 39:* quibus addi potest obseruatio apud THEOPH. BONETVM *in sepulchr. tom. I. pag. 877.* relata. Quum autem multa disputandi occasio tam medicis quam philosophis inde enata fuerit, illorumque sententiæ de hoc euentu variæ prostent: nolo me immittere litibus & dubitationibus immensis. Largior facile vnius euentus diuersas esse posse rationes, vt in vniuersum aliquid non possit dici: præscriptim quum circumstantiarum admodum mancæ sint relationes, & forte paucissimi fuerint sectioni a morte subiecti. Sed in nostro ægroto concurrit circumstantia singularis & notabilis, scilicet inuentus per sectionem a morte institutam abscessus ab utroque latere, disruptus, cum magna contenti humoris parte in cauum thoracis effusa. Quod cum crebro obseruatum fuerit, induxit syncopas lethales, si qua in parte interna aliquis maior abscessus disruptus fuit; saepque visum fuerit absque risu prægresso aut comite accidisse : non possumus utique quin seorsim

## DE HYDROPE PECTORIS SACCATO. 21

seorsim dispiciamus, quid alterutri causæ cum maiori verosimilitudine tribui posse videatur.

### §. XVII.

Et de risu quidem docet attenta consideratio in cunctum nimis effusorum hominum, quod facies ipsorum rubeat, in tumorem extollatur, collum, oculi & in primis iugulares venæ inflentur turgeantque. Pulmones interea accepto aere dilatati citissimis, admodum paruis & reciprocis concussionibus, per organa inspiratoria & exspiratoria factis, quasi conuelluntur, aere quasi vndatim in pulmonibus & aspera arteria agitato nec renouato: pulmone interim fere in eadem extensione manente, sanguinemque magis conuolante quam transmittente: confer HERM. BOERHAVIVM *institution medic.* §. 635. Hæc autem pulmonis antea non bene expediti, sed angustiis conclusi constitutio, dum sanguis a superioribus descensurus in finibus capitis & cerebri cortice detinetur & aceruatur, inducit ibi principiis nerorum compressionem & insensibilitatem ac mouendi impotentiam corpori vniuerso: adeo ut apoplexiam merito suspicemur enatam, & in tam funesto exitu præcipuas partes sustinuisse.

### §. X.

Atque eadem pulmonum agitatio, dum in adiacentes saccos aqua turgentes & expansos toties impetum fecit, costarumque spacia per musculos respirationi seruientes intra breve tempus saepius distracta & iterum compressa fuerunt; factum videtur ut illa pleuræ tunica, quæ abscesserat, vtpote iam antea per extensionem tenuior, perque longam macerationem marcida & emollita facta,

C 3

disrum-

## 22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

disrumpetur, atque aquas antea inclusas emitteret. Quumque istiusmodi disruptiones vomicarum abscessuumque saepissime lipothymiarum, nec raro etiam mortis subitæ causæ fuerint: tanto minus mirari oportet, quod in hoc viro, sic constituto, duæ concurrentes validæ causæ lethalem virium vitæque defectionem intulerint. Prioris, puta apoplectici effectus comprobationem per anatomen requirere non concedebatur: alter quoad τὸ οὐ, & hic & saepissime alias, patuit atque comprobatus fuit. Sed τὸ δέ, seu rationem aliquam luculentam & conuincientem ipsem et requiro: leues autem suspiciones, aut pro auctoritate a quibusdam prolatas repetere verecundia prohibeor. Atque hæc ad primam historiam meditationi sumus: alteram subiungam & paucissimis illustrabo.

## HISTORIA II.

**P**anni sex quidam prope quadagenarius ex Lusatia ad nos cum familia sua migrauerat, vbi relicto ob paupertatem magisterio artis sue mercenariam operam suam locabat, moxque dominum inueniebat, qui ipsi propter honestatem conspicuam permittebat varia ad labores pharmaceuticos rudiores pertinentia. Sed non diu durabat illius valetudo in hoc vitæ genere: forte quod antea magis sedentarius fuerat & frigori minus adsueuerat. Sæpe per multos menses laborabat rheumatismo, humeris & dorsali regioni incumbente, a quo liberatus, aut potius leuatus, pleuritidis spuriæ incommodis vexabatur. Pugnabat proposito suo aduersus morbum, & quantum poterat seipsum compellebat ad laborandum: & ybi vel minimum leuatum se sentiebat, redire cupiebat ad labores ordinari.

C

ordinarios. Quæ res male vertit, eumque in dyspnoeam magnam coniecit, cum qua, vt & cum pristinis rheumaticis incommodis, per annum vnum alterumque collustratus atque hemiplegia correptus, tandem oedematosus factus vix sentientibus domesticis viuendi finem faciebat. Concedebatur medico, veniam illam expetenti, vt viscera posset perlustrare. Abdomen nihil magnopere animaduerlione dignum offerebat: sed in thoracis dextri cauo, eiusque posteriori & inferiori regione, prope diaphragma, hærebat vesica fere pugni virilis magnitudinem æquans, sero subfuscō plena. Prope illam duæ minores erant, exiguo interuallo distantes. Supra has erat digitum indicem longa & crassa vesica, iuxta vertebrae dorsi, ad costarum cum illis coniunctionem, iacens & materia alba per tunicam pellucente plena. His ita obiter visis, pulmones nulla parte adnati, vna cum corde eximiebantur, vt hæ vesicæ magis paterent considerationi. Et inferiores quidem illæ, præter serum subfuscum nihil continebant: sed in illa oblonga & vertebris parallela dubium videbatur, quo nomine appellari materia contenta deberet. Erat enim instar tremoris lactis spissioris homogenea materia, nullo fœtore imbuta. Qui tunc sectioni præerat medicinæ candidatus & practicus auditoribus, in quorum gratiam eam instituerat, ita cum explicabat vt abscessum suppuratum diceret, nondum ruptum, a pleuride acuta aliqua residuum: quod tunc omnes credebant. In cordis dextra auricula vt & ventriculo magnum erat concrementum polypoſum: sed pulmones nihil vitii ostendebant, nisi quod prætumidi erant & passim manifeste ostendebant vesiculas aqua turgidas. Sed nec coaliti

24 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

coaliti cum pleura vel diaphragmate vlo loco, nec purulenta aliqua corruptione affecti inueniebantur. Fuissent sane complura tunc accuratori scrutinio digna : sed deerat anatomes satis peritus prosector : quare his fideli memoriæ tunc mandatis contenti esse debemus.

§. XIX.

Quum multa possint ex allata historia considerationi amplæ materiam abundantem suppeditare : evitata omni excursione, ea tantum consequimur, quæ ad argumentum nostrum proxime faciunt. Hydropem pleuræ hic nemo diffitebitur. Tres vesicæ aquam continentes inter pleuram & costas rem aperte probant. Forte erant in vnum saccum coituræ, si ægrotus diutius vixisset. Deinde altera oblonga & vetebris parallelæ vesica , quia non continebat materiam serosam , mea pace excludatur a nomine hydropis : habebit tamen hoc , quod fuerit abscessus pleuræ; æque vt illi tres serosi.

§. XX.

Fueritne illa vesica oblonga & materiam spissam albam complexa , vere repleta pure cocto, quod sub affectu pleuræ inflammatorio olim generatum fuerit, non sine ratione in dubium posse reuocari videtur. Certe pus album, homogeneum, &, vt veteres loquebantur, bene coctum, magis ex partibus carnosis musculosis aut sanguineis conficitur , quam ex membranosis & exsanguibus. Deinde verosimile videtur virum hunc , si vix quam vere inflammatorio pectoris affectu laborasset, vix effugiturum fuisse pulmonum cum pleura aut diaphragmate aliqualem coalitum: qui tamen nullus inueniebatur.

tur. Longe autem probabilius videtur in viro rheumatis & pleuritidi spuriæ s̄epe obnoxio hunc abscessum continuisse materiam similem illi, quæ tophos in podagrīorum articulis, calculum fabulūm in renībus, admixto salino vrinæ, atque in rheumaticorum bronchiis non raro etiam enatos calculos constituit.

## §. XXI.

Quo vero pacto istiusmodi materia secernatur a massa humorum & in sacculum compingatur, haud facillimum explicatu videtur. Notatæ sunt pridem tales collectiones in glandulis. DIEMERBROECKIVS *anatom. lib. I. cap. VIII.* commemorat in mesenterio pueri atrophici visas complures, in quibus, vt propriis eius verbis utar, continebatur crema candida, in casei siccioris duritiem concreta. In *Act. physico-med. Acad. N. C. Vol. I. obs. 231.* describuntur bronchiis pulmonum apposita crebra tubera, quorum maxima nucem iuglandem, minora auellanam aut fabam magnitudine æquabant. Ex his incisis prorumpet materia uniformis, copiosa, alba, instar gypsi aqua humectati: sed & aliqua continebant materiam magis crassam, non effuentem, instar gypsi magis iam consistentis. Vterque obseruator loquitur de glandulis, alter mesenterii, alter bronchialibus. Cumque ad glandulas has conglobati generis non sanguis, sed lymphā perueniat; illud nobis suppeditat, quod ex lymphā e valis sanguineis iam elapsa & progressa, in glandularum colatoriis segregetur materia aliqua crassior, quam quæ proportionata sit subtilissimis earum ductulis.

## §. XXII.

Emergit hic dubium haud euānidum aut adspēndandum,

D

nandum,

26 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

nandum, vndenam ortum nacta sit illa, quæ glandulas traiicere nequit, crassities. Quum chylus primum ad sanguinem veniret, traiecerat colatoria mesenterii. An colatoria glandularum bronchialium subtilioria sunt, quam illa mesenterii? an itinere interiecto aliquid in massam humorum influxit grumositatem & coagulum inducens, quod in glandulis bronchialibus fuit detentum? Prius quidem vix videtur probabile, vel ob illam rationem, quoniam sæpe mesenterii glandulæ visæ fuerunt in tumorem auctæ & induratæ, ceteris saluis & nulla labe affectis: quum necessarium videatur, si tenuiora sint cetera, quam hæc, colatoria, non posse illa libera manere prioribus afflictis: quum semper dimittant per se aliqua crassa in tenuioribus colatoriis necessario hæsura. Superest igitur ut posterius probabile videatur, statuamusque quod humoribus ex prima officina fine vitio dimissis affricari tribuique possit vitium aduentitium.

§. XXIII.

Id vero ut mihi persuadeam, facit potissimum consideratio eorum, qui lue venerea ab impuro concubitu primum corripiuntur. Hi enim primis mox diebus glandularum inguinalium tumore corripuntur & dolore aliquo tensu. Et quamquam ille, succedente gonorrhœa non increscit, potiusque ea procedente & rite adiuta imminuitur iterumque disparet: est tamen consideratione dignum cur mox ab initio accedat, & præmatu re suppresso fluxu augescat. Rationem anatomici hanc suppeditant, quod lympha a partibus genitalibus reflua ad has glandulas omnis confluat, infecta autem coagulante & lentescente contagio inepta facta videtur, quæ per

per tenuissimam glandulæ compagem traiiciat. Quid autem impedit credere quod hominum rheumaticorum lympha, vel ex refrigeratione, vel alia decubitus tardumque progressum inducente causa, lentior facta, dum per tenues membranas & ligamenta traiicit, in subtilioribus fibrarum ductulis stagnet, & effluente tenuiori parte crassescat: quo facto dum a tergo affuentes & succedentes lymphæ stagnantem vrgent ac premunt, tandem per rumpantur ductuli & extravasationem initio exiguum faciant, quæ, non occlusa porta, nouo indies augmento aceruatur. Non improbat hoc vlli videbitur, qui considerare voluerit tophaceas concretiones in articulis podagra vexatorum, quæ molli & pultacea alba forma prius hærent, quam indurentur: quique ad renes delatum & concrecentem in fabulum & duros lapides mucum perpenderit.

## §. XXIV.

Sed hæc forte a proposito nimium recedunt: redeo itaque ad id, vnde parumper digressus fui, hydropem scilicet pleuræ siue pectoris saccatum, subiungamque quæ dicenda de illo videntur. Iam supra §. IV. testatus sum quod neutquam cupiam pro eo haberi, qui rem prorsus nouam afferat. Nunc inter illos, qui affectum hunc viderunt & descripsérunt, præcipuo loco habendum ostendo magnum nostri æui medicum, & Fridericianæ huius decus, FRID.HOFFMANNVM, patronum præceptoremque mecum perpetua pietate colendum, qui *medicin. rat. system. tom. IV. part. III. pag. 327. & §. 20.* vbi de asthmate conuilsu tractat, in hunc modum tradit: neque negligenda est ea hydropis in pectoris species, quæ hydatidibus veluti sacculo inclusa videtur.

D 2

Multæ

28 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

Multæ occurruunt obseruationes de hydatidibus eiusmodi, non modo in pulmonibus, verum etiam pleura, septo transuerso & cordis externa superficie repertis. Citat deinde autores, quos apud ipsum relegendo commendo: quibus adiicere liceat *Act. physic. med. Ac. N.C. Vol. V. pag. 10. not. X.*

§. XXV.

Diagnostica huius morbi signa nondum certa esse, iam supra confessus sum: neque tamen despero fieri posse ut certa inueniantur, si obseruatio sedula, & per sectiones defunctorum scientiæ pathologicæ incrementum quærendi serium studium, porro continentur. Vix centesimus quisque intra proximos ducentos annos operam illi seriam nauauit: multis defuit potestas quantum vellent hic satisfaciendi desiderio suo: aliquibus forte obseruationes suras cum publico communicandi facultas aut commoditas. Est itaque hæc res diligentia ac attentioni futuræ ætatis commendanda, cui forte nec pauciora, nec minus pulchra, quam hodie nouimus, inuenienda supersunt.

§. XXVI.

Otiosam & superfluam in medicina esse omnem operam, ex qua nihil ad practicam utilitatem dimanet, facile largior. Sed idem cum CORN. CELSO contendō, istam rerum, quæ in nobis accidunt, contemplationem, quamvis non illico medicum faciant aptiorem, in medicinæ tamen reddere profectum. Utique cum deo & die. Illud saltem admonemus, quod in dyspnoea & asthmate suspicari debeamus hydropem pectoris, neque propterea desistere, quoniam motum & fluctuationem aquarum non perceperimus. Est enim hæc fluctuatio signum tale, cuius absentia non valet ad negationem hydropsis in pectore. Non itaque nos terreat eius

eius signi defectus ab adhibendis illis efficacibus anhelationis præsidiis, quæ vel antiquitas, vel recentioris ævi industria, nobis patefecerunt. Sunt autem illa præcipua elaterium, anhelationis maximum remedium, vel PLINIO teste: & scilla, quam antiquitas aceti & oxymelitis forma adhibuit: recentiores acetum soluendo gummi ammoniaco & potionis forma adhibere consueuerunt. Recentissimæ cognitionis est, quem b. D.D. & archiater STAHLIVS pharmacopoliis tradidit, puluis scillæ compositus, cuius præclara exstant passim præconia. Legi autem de scilla & hoc puluere ample exponens dissertatio inauguralis Duisburgi anno superiori edita omnino meretur.

§. XXVII.

Quum alias multa sint, in quibus hic hydrops cum saccato abdominis conuenit; atque illi a chirurgia maximum præsidium, si in tempore veniamus, promittatur: ita huic quoque non exigua spes ab hoc auxilio ostenditur. Atque nescio sane, annon exemplum eius sit vir ille, de cuius morbo conscripta est dissertatio sub præsidio illustris FRID. HOFFMANNI quondam edita, de perpetuo succi nutritii ex thorace stillicidio. Memorabile est, quod vir, qui paracentesin suasit & instituit, magnam materiae copiam in cavitate pectoris collectam esse, eamque intra membranas, quasi folliculo collectam esse, scite iudicauerit. Neque se felliit euentus. Namque euacuata materia, quoties corpus concutiebatur, auditus fuit in cavitate illa thoracis strepitus, ac si strophiolum aliquod in aqua volvaretur: quod tamen phænomenon post aliquod hebdomadas obseruari desit. Nullum mihi est dubium, quin hoc fuerit membrana pleuræ, quæ sacci alterum latus constituit.

D 3

§. XXVIII.

30. DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA

§. XXVIII.

Plura, quæ hac occasione disputari possent, obsequium temporis necessarium præstantes omittimus, rogamusque beneuolum lectorem, velit a nobis dicta in optimam partem accipere: non dicta modestiæ imputare.

**F I N I S.**

Pergite, Pierides SENGERI, pergit, vestrum  
Phœbo progenitus laudat amatque melos.  
Iam plaudunt alacres, iam fertaque florida nectunt  
Aegles atque Acesus Lampetiæque manus.  
Virgineo comitate choro penetralia templi  
Intra, languores inspice, pelle, graues.  
Suscipe nodosi splendentia pondera sceptri  
Quo tu morborum lurida monstra domes.  
Ingenium TIBI sit vigilans aciesque draconis;  
TE iuuet humanum posse iuuare genus.

Eximio & nobilissimo Candidato, auditori  
suo perquam industrio, gratulabundus ap-  
posuit

**PRAESES.**

**SS**O Witz, Verstand und Fleiß mit Wissenschaft verbunden

Darf keiner Wörter-Pracht des Lobes Wehrt erhöhn  
Dis wird Geehrtester an Dir bewahrt gefunden

Die Wahrheit Deiner Schrift läßt schon die Proben sehn.  
Du willst ich soll mich Dir im Streite widersezen,

Ich folge Deinem Winck, und sieh' ich falle schon.  
Die Waffen, so Du führst, die können leicht verlegen,  
Du triumphirest jetzt, der Purpur wird Dein Lohn.

So muß die Wissenschaft Dich ihren Wohnplatz zieren.

Des Glückes Ueberfluß, fügt noch mein Wünschen bei,  
Erschütte sich bei Dir, kein Unfall soll Dich rühren.

Bleib mir wie vor geneigt. Leb stets von Sorgen frey.

N. H. KEMNA

Med. Cult. Oppon.

**D**ie Belohnung folgt den Guten,  
Sie verknüpft ein festes Band.

Was war anders zu vermuthen?

Da Dein Fleiß hier ward bekannt.

Freund Dir hätte längst gebühret,

Als Apollens ächten Sohn,

Der Kranz der Dich heute zieret,

Als ein wohl verdienter Lohn.

Nun so nimm mit grössern Rechte  
Diese neue Würde an.

Zeig

Zeig dem sterblichen Geschlechte  
Wie Dein Wissen dienen kan.  
Lebe glücklich!, heyl die Kranken!  
Wisse nie von feinem Feind;  
Gönn' bisweilen auch Gedanken  
Deinen ganz ergebenen Freund,

J. C. Scheuring

von Greifswald aus Pommern  
der Arzney Beflissener.

**D**ein aufgeweckter Geist legt Heute neue Proben  
Von Deinem steten Fleiß uns jekund wieder dar.  
Mein Kiel ist nur zu schwach, Dich nach Verdienst zu loben  
So spahr ich mehr der Wort, weil solches gar zu klar,  
Drum nimm das wenige was reine Triebe schenken  
Und quillt aus treuer Brust ganz gütiglich doch an.  
Der Himmel wolle sich mit Seegen zu Dir lencken,  
Und wenden alles ab, was Dir nur schaden kan.  
Er seegne all Dein Thun, er segne Deine Euren  
Und mache Dich berühmt zu Deiner Freunde Zier  
So kan die Nachwelt sehn, unzählich viele Spuhren  
Von der Geschicklichkeit, die sich befind bey Dir.

C. M. STOY

Med. Stud. Oppon.

